



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Conciliatio Græcorum historicorum cum Latinis. Qua ratione intelligendum videatur quod aiunt Græci, Gregorium ab Imperio abduxisse provincias Italiæ. Cum Exarcho rediit in gratiam, & ejus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

χειλας, & Καλαβρίας τῶν λαῶν ἐπέθηκεν. Tributum imposuit in capita tertie partis populorum Sicilia atque Calabria. Misso deinde edicto, quo imagines dejici præcipiebat, Romano Pontifici gratiam suam Leo pollicetur, si nefariæ definitioni subscriberet, alioqui suo gradu quantocumque pellendum minatur. Gregorius statim se adversus *hostilem* Principis animum parat, monetque Pentapoleos & Venetiarum exercitus ut ab ea impietate sibi caveant. Subita rerum conversio; omnium mentes ad Pontificem tuendum inclinatur, ab Exarchi obsequio deficiunt, & delectu suo quique sibi Duces præficiunt, ut testatur Anastasius. Tunc ergo Ducem Romana provincia, quemadmodum & ceteræ, suo arbitratu, id est, procerum delectu, habuit; qui eodem jure uteretur in administranda republica, quo Ducis ab Imperatore missi.

II. Si queratur quanam fuerint partes Romani Pontificis in Ducis creatione, non obscure responderi potest ex Anastasio, procerum suffragiis electum, quemadmodum in ceteris civitatibus. Attamen ea erat Summi Pontificis auctoritas, ut illi in eo negotio licuerit quod libuerit. Ceterum si de ordinario jure agatur, ea omnia à Senatu populòque Romano peracta sunt. Nul- lum enim imperium in Italia vel in Romana provincia exercebat Romanus Pontifex. Verum tanta ejus erat apud omnes reverentia, ut difficiliores Principum controversias componeret, & bellorum pacisque momenta temperaret. Hoc observat Gregorius II. in epistola ad Leonem; docetque Pontificis solium Romæ eo consilio constitutum, ut pacem Orientis & Occidentis concilieret, seque medium, veluti parietem quandam intergerinum, Principum collisionibus interponat. Addit universum Occidentem oculos ad se conversos habere, & ab omnibus Occidentis regnis beatum Petrum terreni cujusdam Dei loco haberi. Quid ergo tantæ auctoritatis viro non licuit in nova Romani Ducis constitutione præcipue cum ad ejus tuitionem, & religionis securitatem, hæc consilia caperentur. Sed aliud est majestate nominis & dignitate sedis aliquid à volentibus impetrare, aliud jure suo agere. quod nondum Gregorio competebat. Volverunt Itali in apertam defectionem erumpere, & novum Principem creare. Sed Pontifex intercessit, & hortatu Luitprandi Regis in amicitiam rediit cum Eutychio Exarcho, eique suam auctoritatem, teste Anastasio, restituit in Romana civitate.

III. Ex iis quæ retuli componi potest

discrimen quod intercedit inter Latinos Historicos & Græcos. Theophanes enim, eumque secuti Zonaras & Cedrenus, docent Gregorium II. Romam atque Italiam ceterasque Occidentis provincias ab obedientia imperioque Leonis abduxisse. Nostri verò constanter asserunt eum in officio populos continuasse, & in fide Imperio debita. Itaque dicendum est, ex hæresi à Gregorio damnata occasione quidem sumpsisse Italos pellendorum Ducum ab Imperatore constitutorum, & vectigalium retinendorum. Sed ille tantum abfuit à rebellionem fovenda, ut Exarchum in integrum restituerit. Vel planè dicendum est, Græcoscriptores ea omnia velut in unum factem conjecisse quæ diversis temporibus acciderunt, rëmque totam ad Gregorium II. retulisse, cujus origo tantum inde peti debeat. Revera enim Gregorius II. Leonem binis literis monuit, sed non excommunicavit; quamvis ita ferat communis opinio, quam nos quoque secuti sumus libro primo cap. 1. §. 1v. Gregorius verò III. monitum per literas suas Principem, inter ceteros, non autem nominatim, excommunicavit in Synodo Romana.

IV. Leo autem adeo exarsit, ut patrimonium Ecclesiæ Romanæ in Calabria & Sicilia sita in fiscum redegerit; quemadmodum observant Adrianus & Nicolaus, qui ea incassum ab sequentibus Imperatoribus, etiam Orthodoxis, repeterunt. Eorum patrimoniorum redditus annuus auri talenta tria & semis conscriebat, ut ait Theophanes: *Appellata patrimonium sanctorum principum Apostolorum, qui apud veterem Romam in veneratione sunt, illorum Ecclesiis jam olim persolvi solita, auri talenta tria & semis, ærario publico solvi jussit.* Sciunt omnes patrimonium illa Calabriae & Siciliae, latifundia fuisse quæ per Defensores eò missos Summi Pontifices curabant; ut patet è variis epistolis Gregorij Magni, vel, ut loquitur Nicolaus, *disponendo per familiares suos regere studebant.* Attamen Nicolao Alemanno viro eruditissimo placuit, ea patrimonium, census & tributa fuisse quæ ab Imperatoribus Ecclesiæ Romanæ, non munificentiae & largitatis nomine, sed ut jure debita penderentur. Atqui è Theophanis verbis, quibus innititur, contrarium colligere poterat, etsi alia deessent argumenta. Quæ enim ratione Leo hanc auri summam ærario inferri præcepit, si à fisco solvenda erat, & non aliunde exigenda? Nec feliciter illi cedit conjectura, cum existimat Ludovicum Pium donatione sua restituisse Ecclesiæ Romanæ ea tributa quæ illi quondam, Impe-

Theophanes in Chronico de epistola Romani & Leonis, & 116. lines, & 117. lineæ. Theophanes in Chronico de epistola Romani & Leonis, & 116. lines, & 117. lineæ.

Atal. Anath. maius Paulum E. ...

Greg. II. in ep. ad Leonem ...

Hadriani in ep. ad Carol. M. Nicolaus in ep. ad Michaelen.

Theophanes: τὰ ἀρχαῖα κτλ.

Nicolaus Alemanus in Dissert. de Lateran. Patecibus c. 15.

Donatio Ludovicus Necnon & consus, & pensioni, seu cetera annuatim in Palatinum Regis Longobardorum inferri solebant, sive de Tuscia Longobardorum, sive de Ducatu Spoletano.

